

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT XXII.
DE LEONE.

Copia Leonum in provincia Gingu magna est. Ad eo vero incolis infesti, ut nec domo noctu egredi audeant, nec naves deducere ad portum. *Gesner.* Ossa Leonum medullæ expertia dicuntur tam dura, ut ignem concussa reddant. *Alian.* Dentes illis serrati, cervix uno rigido constat osse, nec vertebris jungitur, priores pedes quinque distinguuntur digitis, quaternis posteriores, pupillæ nigrae sunt. *Aristot.* Parcunt omnes à sagina. Nam & alternis potum & cibum capiunt; & concoctione lactea unum superponunt diem; carnes denique iusto amplius devoratas, insertis in ora unguibus protrahunt. *Arist.* Saturati fera alicujus carnibus, reliquias aperto guttore afflant. Hinc tantus oritur foetor; ut à nullo animalium attingantur. *Alian.* Minimum dormiunt, sublucentque dormientium oculi, semel in vita parere nec unico plures, testatur *Herod. & histor.* 3. Nati catuli tribus diebus dormiunt, rugitu masculorum excitantur. *Gellius l. 13. c. 7.* Maximus in iis liberorum amor. In Pangeo Thraciæ monte occiderat absentium catulos urfa, & fuga sibi consuluerat conscensa arbore. Insecuti parentes inventunt, sed quia difficilis adscensus, sine vindictis. Relicta igitur ad custodiam læna, vagatur per montes Leo, palliorem securi instructum invenit, ex animi blanditur, securim tollere jubet, veste arreptum ad arborem trahit, succisa urfus delabitur & discernitur. *Alian.* Clementiam exercet in supplices. Prostratos enim vix lædit, & ubi desæviit, viros potius quam feminas opprimit, infantes si ingens presserit fames. Scribit *Avicenna*, si quis lapidem aut telum leoni immiserit & aberraverit, ita ut vel nihil lædat vel parum, minari hunc potius quam interficere: Vindictam si sumserit, tantum infert quantum accepit. *Crantzius in Saxon. l. 8. c. 24.*

Quondam in Anglia nobilem sanguinem à degenerate discrevisse testatur. Sunt & mansueti. Nam in planicie quadam regni Fez bacillo abiguntur; & in alia Africæ regione, ossa vicatim colligunt. *Leo African.* Indici denique adeo mansuescunt, ut loro assuefacti ad venationem ducantur. *Alian.* Marcus Antonius primus eos jugo subdidit. terrentur rotarum circumactis orbibus, gallinarum cristis cantuque, sed maxime ignibus. *Plin.* In Armenia farina piscium nigrorum tolluntur. *Alian.* Et leontophonis bestiolis modicis: quarum exustarum cinere carnes coasperguntur. *Solin.*

CAPUT XXIII.

DE LEPORE.

Leporibus Ithacæ infestus ager est, nam moriuntur illati. Balearium gratiofus. Tanta enim aliquando ibi horum copia, ut militare auxilium postularent ab Augusto incolæ. *Plin.* Minores albescunt hyeme in Alpibus. *Gesn.* Pausanias vero in Arcadicis candidos è Lybia advectos vidit. Palpebris clausis vigilat, immotis dormit. *Xenoph.* Acie est obtusa. Nam exporrecti oculi, præcisæ palpebræ, pupillis munimenta non præbent. Vtrumq; sexum habere negat *Albertus*: scribit *Niphus*, illud, inquit, quod *Albertus* de leporibus dixit, mihi semper fuit dubium. Nam in venationibus observavimus, leporem habuisse penem & testes, & deferre in utero lepusculos. Observavimus etiam leporem habuisse vulvam, & in ea lepusculos: carere vero testibus & pene. *Rondeletius* vesicular esse existimat sanie tumentes, & certe tales in Castore præpendent, in quibus continetur Castoreum. Rore contenti dicuntur, superfætant & singulis mensibus patiunt. In cubilia se recepturi jugeri etiam intervallo catulos, altum alio transferunt distitos, ne si periculum obveniat, omnes periclitentur. Ipsi deinde impressis discursu multiplici vestigiis, saltu postremo ingenti sese abripiunt & cubant,

CAPVT